UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.**

Caput V. De fructu Sacrificij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42206**

Visual Library

Missæ ante auroram dici possint. Vid. *Dicast.* & alios. Nemo tamen tenetur eo die tertiò celebrare, quia est gratia & privilegium, quo nullus uti tenetur. *Iordan. l. c.* Sicut & nemo obligatur tria Sacra audire, cùm de hoc non exstet præceptum.

Et an quivis teneatur illa legere.

---

## CAPUT V.

### *De fructu Sacrificij.*

FRuctum Sacrificii Authores communiter nominant portionem: Est autem quodruplex portio, generalissima, specialis, ministerialis, & specialissima. Prima est fructus proveniens ex Sacrificio, quatenus Sacerdos illud offert nomine Ecclesiæ; Et hæc portio cedit omnibus fidelibus non excommunicatis. Secunda est fructus competens concurrentibus speciali modo ad Sacrificium; Tales sunt v. g. qui fundant Sacrum, suppeditant necessariò ad Sacrum, qui ministrant, aut Sacro devotè intersunt. Tertia est fructus proveniens ex Sacrificio, quatenus Sacerdos illud offert

Ostenditur, hunc fructũ esse quadruplicem.

Explicatur, quis sit fructus generalissimus.

Quis specialis.

Quis ministerialis.

fert tanquam Minister Christi; & hæc portio cedit illi particulari, cui à Sacerdote applicatur Missa; quæ quidem portio, ut passim docent Theologi, finita est, non tantum intensivè, sed etiam extensivè; non enim, ut experimur, hac portione acquirimus omnia bona, & quo pluribus illa applicatur, eo respectu singulorum fit minor, quod probatur ex communi praxi doctissimorum Sacerdotum, qui cupientes suum Sacrum singulariter amico alicui prodesse, offerunt illud Deo, pro ipso solo; quod sanè non facerent, si crederent amico nihil decessurum. Proindè Sacrificium rectè dicitur infiniti valoris in actu primo, sed finiti in actu secundo. Vid. *Dicast. de Euch. tr. 4. disp. 3. Suar. Tann.* &c. Proinde fideles scientes hanc sententiam non esse certam, quæ docet fructum Sacrificii non minui multitudine participantium, offerunt stipendia, eâ tacitâ conditione, ut Sacerdos certiora sequatur, adeóque solicitus esse debeat, ut id, quod certius est, amplectatur. Vid. *Dicast. l. c.* Quarta denique est fructus proveniens ex Sacrificio, quatenus illud offertur

Estne hic tertius fructus dicendus finitus intensivè & extensivè.

Quis specialissimus.

in

in persona propria, estque portio cedens ipsi Sacerdoti sacrificanti; nam si singulis impropriè sacrificantibus, & ad Sacrificium concurrentibus respondet peculiare emolumentum; quidni eveniet tale, Sacerdoti propriè sacrificanti. Vid. *Gav p. 2. Tit. 8. n. 3.* Undè si tibi non incumbit obligatio sacrificandi, ad certam intentionem; poteris liberè dividere hos fructus, servando tibi unam portionem, duas, aut nullam, ut libet; reliquas dividendo inter duos aut tres, &c. quia id concessum intelligitur, quod expressè prohibitum non reperitur. Vid. *Barbos. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 13.*

Utrum Sacerdoti liberum sit hos fructus dividere.

Quod si datur stipendium pro legendo Sacro ad certam intentionem, non licet tibi dividere fructum Sacrificii: dans enim eleëmosynam pro Missa, videtur omnem sibi effectum deposcere. *Bonac. de Sacra. disp. 4. q. ult. p. 7.* ... &c. contra alios, qui probabilit[er] docent Collectas seu Orationes a[lteri] applicari posse. *Dian. p. 9. tr. 7. res[ol.] 8.* &c. Quia satis videtur esse certu[m] ... dantem stipendium non ita esse [a]vidum, ut nolit aliquam Collectam, in Sacro

Etiam eo casu, quo datur stipendium pro Missa legenda.

à se constituto inseri pro alio.

*Aut quando legi ex obedientia:*

Quando ex sola obedientia teneris sacrificare pro defuncto, vel in gratiarum actionem pro obtento beneficio, poteris fructus, qui non tendunt directè ad finem tibi præscriptum applicare alteri ; nam obligatio legis non est extendenda ultra finem legis & præcepti. Ita DD. *ex cap. intelligentiâ , de verbor. signific.* Potest enim privatus finis obtineri , licet unus alterve fructus Sacrificii transferatur in alios.

*Aut ex liberali promissione.*

Quod si liberaliter promisisti duobus seorsim Sacrum , poteris utique uno Sacro satisfacere, si finis, ob quem promisisti uni, differat à fine, propter quem promisisti alteri ; v. g. si uni promisisti ad obtinendam sanitatem, alteri in gratiarum actionem pro eadem obtenta ; quia liberalis promissio ita est interpretand- , ut sit promittenti minimè onerosa , præsertim si verba pro-missoria indicent limitation- -, ut hic fit , dum uni promi- -ur cum limitatione ad obt- -ndam sanitatem. Vid. *M- -och. de Præsumpt. lib. 6. Pr- -umpt.* 9. pro quo- -um intelligentia.